UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Christiana Institvtio Virtutum & vitiorum sacri uerbi Dei declamatoribus admodum vtilis et necessaria

Ammiani, Sebastiano

Venetiis, 1562

Columbae proprietates sunt octo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30415

Visual Library

Columbæ proprietates ſunt octo.

PRima eſt, quia caret felle, in
quo commendatur manſueta-
do quæ omnem amaritudinem
Heb. 12 pellit à corde. Vnde Paulus. Neque
radix amaritudinis ſurſum germinet,
& impediat, &c. Et Petrus. Deponen-
tes igitur omnem malitiam, & om-
nem dolum, & ſimulationem, & in-
1. Pet. 2 uidiam, &c. Seruat etiam cor in ſua
Grego. dignitate, ſic ut ait Gregorius. Man-
ſuetudo imaginem Dei in nobis ſer-
uat, quam iracundia diſſipat. Secun-
da, quia non lędit ore. in quo commen-
datur modeſtia, quæ eſt oris cuſtodia,
& omne uerbum malum intrare, nec
Eph. 4. exire non ſinit. Ephe. omnis ſermo
malus ex ore ueſtro nõ procedat, &c.
Tertia, quia non nocet ungue, in quo
commendatur innocentia, quæ cu-
Pſa. 23. ſtodit manus ab omni iniuria. Pſal.
Innocens manibus, & mundo corde,
qui non accipit in uano animam ſuã,
nec iurat in dolo proximo ſuo, &c.
Quarta, quia alienos pullos nutrit,
ut ſuos. in quo commendatur chari-
tas, quæ aliena bona ut ſua diligit.
Leu. 19 Leuit. Diliges proximum tuum ſi-
cut teipſum. Quinta eſt, quia gemi-

tum pro cantu habet, in quo commen-
datur luctus pro peccatis, tam pro-
priis quàm alienis, qui mutabitur in
gaudium. Matth. Beati qui lugent, Mat. 5.
quoniam ipſi conſolabuntur. Sexta,
quia reſidet ſuper aquas, ut umbra
uiſa, fugiat accipitrem, in quo com-
mendatur ſtudium, ſiue meditatio
ſcripturarum. Vnde in canticis canti- Cant. 5.
corum dicitur. Oculi eius ſicut co-
lumbæ ſuper riuulos aquarum. Et in
Prouerbiis. Fili mi ne obliuiſcaris le- Pro. 3.
gis meę. Septima eſt, quia gregatim
uolat, in quo commendatur unitas.
De hoc require in capitulo de unita-
te. Octaua eſt, quia pauperi nido con-
tenta, in quo commendatur pauper-
tas, & damnatur ſuperfluitas. Vnde 1. Ti. 6.
Paulus dicebat. Habentes alimenta,
& quibus tegamur, his contenti ſi-
mus. Salomon quoque domino loque-
batur. Diuitias, & paupertates ne de- Pro. 30.
deris mihi ſed tantum uictui meo prę-
be neceſſaria.

Contritio prouenit ex quinque.

PRimo, ex recordatione peccati. Secundo ex timore iudicij, & pœnarum inferni. Tertio ex recordatione mortis. Quarto ex lon-